Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26373
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Sub lingua eius labor et dolor. Dolores itaque seminat. cum perversa
agit. dolores metit. cum ex eisdem perversitatibus temporaliter
excrescit. Quomodo ergo flante deo pereunt. qui plerumque diu
hic subsistere. et iustis felicius permittuntur. Hinc nanque
de illis iterum per psalmistam dicitur. In laboribus hominum non sunt
et cum hominibus non flagellabuntur. Hinc hieremias ait.
Quare via impiorum prosperatur. Quia enim sic scriptum est.
dominus patiens redditor est. sepe diu tolerat. quos in perpetuum damp
nat. Nonnunquam vero concite percutit. quia pusillanimitati inno
centium consolando concurrit. aliquando ergo omnipotens deus diu
prevalere iniquos patitur. ut iustorum mundi vita purgetur.
aliquando vero iniustos celeriter trucidat. eorumque interi
tu innocentum corda confirmat. Si enim nunc omnes male a
gentes percuteret. extremum iudicium quibus exhiberet. Si
autem nullum omnino percuteret. quis dominum res humanas cura
re credidisset. Nonnunquam vero iniquos diu ferit. ut ostendat.
quia in ulta mala non deserit. nonnunquam vero iniquos diu tole
rat. ut considerantibus insinuet. ad quod eos iudicium reseruet. Hec
itaque sententia dilationis iniquorum. si non cum fine presentis
seculi de cunctis generaliter dicitur. ex magna parte procul
dubio veritatis virtute euacuatur. si tunc vera erit. cum
iam iniquitatis dilatio non erit. quae hoc fortasse modo intellegi